



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Vtrum eiusdem effectus esse poßint, aut debeant plures causæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

peculiare in actione diuine voluntatis, quæ potens est non solum ad influendum esse in effectum, sed etiam ad influendum pro eo tempore, quo ipsa præscribit, & non antea, quamuis antea ipsa sit. Qui vero ita sentiunt, melius loquentur, si dicant illum actum in manentem seu volitionem Dei non constituere illum actum agentem ad extra, nisi prout actum influit: & vt sic connotare coexistentiam effectus. Nobis vero faciliore est responsio: negamus enim Deum esse causam actum agentem ad extra per actum solum in ipso manentem, sed per actionem extra transeuntem, qui non est prior tempore quam effectus.

XVIII.

Vltima denique pars de prioritate naturæ constat primò ex generali sententia Aristotelis, quod causa est prior naturæ suo effectui, quæ prioritas nihil aliud est quam dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectui: hæc autem dependentia ex parte effectus, & independentia ex parte causæ, maximè cernitur in causa efficiente, vt disputatione sequenti latius declarabimus. Et ideo dixi efficientem causam non solum esse priorem naturæ, sed etiam maximè propriè hoc ei conuenire, quia & causa efficiens maximè requirit existentiam ad causandum, & secundum eam est omnino independens à suo effectui. Est autem circa hanc prioritatem naturæ considerandum, posse esse sermonem de causa efficiente, aut vt actum efficiens est, vel secundum se, seu prout est in actu primo proxime disposita ad agendum. Rursus comparari potest vel ad proprium effectum, vel ad actionem seu causalitatem suam. Igitur comparatione effectus simpliciter est prior naturæ causa in actu etiam vt actum agens, quia actio ipsa est prior naturæ suo termino. At vero comparatione ipsius actionis non potest esse prior naturæ causa in actu secundo, vt bene notauit Soncin. 5. Metaphys. quæst. 7. quia ipsa actione constituitur formaliter agens in actu secundo: ergo non potest esse prior naturæ eadem actione. Respectu igitur actionis solum dici potest causa prior naturæ, quatenus consideratur in actu primo.

XIX.

Dices: Hoc modo non solum est prior naturæ, sed etiam tempore. Respondetur, si loquamur de causa in actu primo sufficiente, & non impedito, & cum omnibus requisitis ad agendum, non ita esse, nisi forte in potentia libera, in qua id est speciale. Deinde dicitur, etiam si prioritas temporis antecesserit, posse etiam prioritatem naturæ interuenire pro illo met instanti, in quo iam sunt simul duracione actio & causa agens: & ita etiam causa libera non solum eo tempore quo non operatur, est prior sua actione, sed etiam pro illo instanti quo operatur, est etiam prior saltem naturæ: & ideo potest pro illo met libera esse, vt supra diximus: Et ratio est, quia ipsa actio manat ab actu primo, non tamen manat media actione, sed se ipsa; & ideo est posterior naturæ quam causa in actu primo, non tamen quam causa in actu secundo.

Satisfi argumentis in principio positis

XX.
Explicita ut
Aristoteli.
cum axio-
ma.

EX dictis soluta est ratio dubitandi in principio posita, & explicata propositio Aristotelis, Causa in actu, & effectus in actu simul sunt. Loquitur enim aperte de causa actu causante, & de effectui in actu in ratione effectus, vt explicuimus. & de similitudine temporis, non naturæ, vt ex contextu aperte constat. Vnde nil refert, quod expressis verbis ibi non distinguat, tum quia res ipsa est satis perspicua, tum etiam quia in ipso contextu, vt dixi, satis declaratur: maximè cum ipse Philosophus in Postprædicam. dicat ea simpliciter dici simul esse quæ simul tempore sunt. Et eodem modo accipiendum est, quod ibidem ait Aristoteles, causam in potentia non esse simul, scilicet tempore, cum suo effectui: vocat enim, vt dixi, cau-

sam in potentia, non ipsam rem, quæ est causa, vt in potentia existentem, sed rem actu existentem, & in potentia ad causandum: & de hac negat esse simul tempore cum effectui, non quia esse non possit, sed quia id necessarium non est.

Ad alia argumenta contra prioritatem naturæ respondetur. Ad primum dicitur in primis satis esse, quod Aristoteles in prædicamentis hunc modum prioritatis naturæ posuerit, nam in quintum Metaphysicæ, non videtur omnes modos Prioris alibi politos repetiuisse. Vel dici potest, hanc prioritatem naturæ comprehensam fuisse sub illa quæ est in subsistendi consequentia, nam causa in tantum dicitur prior naturæ suo effectui ratione causalitatis, in quantum id quod dependet, vt sic esse non potest sine eo, à quo pendet, in quo habet rationem posterioris; è contrario vero id à quo aliud pendet, vt sic est independens ab illo, & ex vi huius independentie esse potest sine illo: quod si fortasse aliunde penderet, est per accidens ob aliam causalitatem. Atque ita causalitas in tantum dicitur naturæ prioritas, in quantum virtute includit prioritatem in subsistendi consequentia, vel absolute, vel saltem quantum est ex illo capite.

Ad vltimum de relatione, sæpe iam dixi in hoc tractatu de causis nihil nos curare de relationibus prædicamentibus consequentibus causalitatem, nam siue illæ sint rei, siue rationis, sunt posteriores causalitate, & propriam habent considerationem & colloca-tionem in prædicamento Ad aliquid. Non sumuntur ergo hic causa & effectus vt de formali dicere possunt relationes prædicamentales: quo sensu verum esse simul non tantum tempore, sed etiam naturæ, si sumantur vt relatio & actum terminus: sed est sermo de causa & effectui quantum ad actum causantis & causati; & ita non sunt simul naturæ, etiam si transcendente habitudinem includant quia hæc non requirit simultatem nature inter extrema, vt in multis alijs rebus per se notum est.

SECTIO III.

Virum eiusdem effectus esse possint aut debeant
plures causæ.



Vb hoc titulo multa comprehenduntur, quæ oportet distinguere, & breuiter expedire. Potest enim esse sermo vel de causis diuersorum generum, vel de causis diuersi ordinis seu speciei in eodem genere, vel de causis eiusdem rationis & speciei in eodem genere. Rursus potest esse questio de causis totalibus in suo ordine, vel de partialibus: est autem causa totalis quæ præbet totum cōcursum necessarium ad effectum in illo ordine: partialis vero è contrario dicitur, quæ per se sola non confert sufficientem, totumque necessarium cōcursum. Præterea aliud est querere an plures causæ sint necessariae ad effectum, in quo simul inquiritur tam connexio effectus cum causis, quam connexio ipsarum causarum inter se in ordine ad causandum effectum: aliud vero est querere, an possint plures causæ ad eundem effectum causarum conuenire, et hoc necessarium non sit. Illud denique est considerandum, quando inquiritur de influxu plurium causarum in vnum & eundem effectum, non inquiri de vnitatem effectus quoad relationem effectus, id est, an talis effectus vno & eodem respectu referatur ad plures causas: hæc enim questio parui momenti est, & proprium locum habet in prædicamento relationis. Neque etiam inquiritur de vnitatem seu identitate causalitatis plurium causarum in eundem effectum: sed inquiritur de ipso esse seu absolute unitate effectus, an in illam possint vel debeant plures causæ.

causae influere, siue vnaquaque influat distincto influxu, siue non: id enim iudicandum erit ex modo causatum, & ex principiis supra positis de causalitatibus singularum causarum, ut ex dicendis etiam facile constabit.

Expeditur questio in causis genere diuersis.

Principio igitur de causis diuersorum generum certum est aliquos esse effectus, ad quos causae omnium generum concurrere necessario debent, si sint propriae & per se effectus. Huiusmodi sunt in primis omnes substantiae naturales, de quarum ratione est ut ex forma & materia componantur, & ita iam ibi duae causae concurrunt: materia autem non potest per se esse, nisi ab aliquo fiat: neque etiam habet formam, nisi aliquod agens illam inducat: agens autem non inducit illam, nisi aliquem finem intendat, & ita necesse est, ut aliae etiam duae causae concurrant. Quo fit, ut idem causarum concursus necessarius sit tam ad materiam, quam ad formam materialem, seu materiam informantem, non tamen eodem modo. Tum quia nec materia causat se ipsam: nec etiam forma. Tum etiam, quia aliter concurrunt materia ad formam, quam ad compositum, & e converso, & sic de aliis, vix superioribus satis constat: Idem causarum concursus proportionaliter necessarius est, ut quodlibet accidens connaturali modo per se causetur, quia non habet nisi subiecto, ab aliquo efficiente, propter finem. Dixi autem, *sistit propriae & per se effectus*, quia in effectu contingenti, & per accidens, ut talis est, neque est causa finalis, neque propriae & per se efficiens: tamen ille ut sic nec est effectus per se, nec propriae est vnus effectus, sed aggregatio plurium, in quorum singulis praedictae causae inueniuntur. At vero in solis substantiis simplicibus seu immaterialibus, duae tantum causae concurrunt, scilicet efficiens & finalis, eo quod materialem non habeant, nec formalem habere possint: nisi fortasse formam Metaphysicam quis causam appelleret: illam autem non esse propriae & physicam causam, supra ostendimus.

Ex his intelligitur primum, nullum esse effectum in rerum natura, qui vnica tantum habeat causam formaliter loquendo. Nam in primis necessarium est ut quicquid est causarum, habeat causam efficientem, ut patet tum inductione facta, tum etiam, quia quod est causatum, non habeat esse à se: debet ergo habere datum ab alia causa extrinseca, causa autem, quae realiter influat esse, ut causa extrinseca, est efficiens. Deinde, quia omne causatum habet causam finalem; nam haec est prima causarum, quicquid autem habet causam finalem, habet etiam efficientem, ut docuit Averroes libro de substantia orbis, capite 2. quia finalis causa est cuius gratia agens operatur. Vnde supra ostendimus, causalitatem finis primo ac per se exerceri circa aliquam actionem agentis. Et e converso causa etiam efficiens per se nihil operatur, nisi concurrente etiam fine propter quem operatur, haec igitur duae causae ut minimum necessariae sunt: habentque inter se necessariam connexionem, eo modo, quo supra declarauimus, quomodo omne genus operetur propter finem. Dixi autem *formaliter loquendo*, quia ubi contigerit efficiens & finem in eandem omnino rem coincidere, poterit quidem effectus realiter esse ab vna sola causa, prout exercente tamē duplicem rationem causandi, secundum quam duae causae formaliter nuncupantur. Et eadem proportionem qui numerant exemplar ut causam distinctam, dicent habere connexionem cum efficiente & fine, saltem ratione primi agentis, iuxta superius declarata.

Dices, posse intelligi rem aliquam ex se esse propter alium finem, etiam si non sit ab alio efficiente, i. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ta ut adaequata ratio finis non sit esse id cuius gratia aliquid fit, sed cuius gratia vel fit, vel est. Sicque Aristotelem sensisse: de quibus rebus quod habeant causam finalem & non efficientem, existimant Gregorius & alii, de qua re partim supra diximus, partim infra dicemus. Nunc quod ad rem praesentem spectat, impossibile in primis est rem, quae ex se est, esse propter aliud à se, nam quod à se est, propter se etiam est, quia tale ens est omnino perfectum, nec est cur habeat esse ordinatum ad aliud, si ex se illud habeat. Deinde, etiam si fingeretur talis ordo, non esse per propriam causalitatem finis, respectu ipsius esse talis entis, quia tale esse esset ex se simpliciter necessarium, cum supponatur non indigere causa efficiente: ergo non pender ab alio etiam ut à finali causa, quia alias illa ablata amitteret suum esse, quod repugnat enti simpliciter necessario. Vnde neque in operari posset pendere ab alio ut à fine, quia quale est esse, tale est & operari. Igitur haec duae causae ut minimum requiruntur ad quemlibet effectum.

Secundo sequitur ex dictis, nullum effectum habere causam materialem intrinsecam, qui non habeat omnes alias, neque etiam habere causam formalem intrinsecam, qui non habet ceteras, ac denique intrinsecam causam materialem, & formalem habere necessariam connexionem, non solum inter se, sed etiam cum efficiente & fine. Haec omnia sunt clara & certa ex dictis, quia materia & forma sub praedicta ratione habent inter se relationem, seu transcendentalem habitudinem mutuam, quia nec materia causat intrinsece nisi per complexum formae, nec forma nisi per informationem materiae, & ita non potest vna causare intrinsece sine alia. Dico autem *intrinsece*, quia quatenus materia causat ipsam formam non tam intrinsece causat, & ideo ut sic non requirit formam ut co-causantem seipsam, sed solum ut causatam, & consequenter ut co-causantem compositum. At vero qualibet ex his causis, & ambae etiam simul habent connexionem cum efficiente, & consequenter etiam cum finali, quia cum materia, tum forma, tum etiam compositum ex ipsis est ens adeo imperfectum, ut non possit ex se habere esse, & ideo sicut neutra ex his causis est sine efficiente, ita neque causat sine efficiente: efficiens autem, ut saepe dictum est, per se non efficit sine concursu finis.

Vltimo intelligitur ex dictis, quomodo haec causae dicantur totales, cum tamen nulla earum per se sola sufficiat ad effectum. Sunt enim totales in suis generibus, quia vnaquaeque in suo genere sufficit, & adhibet totam causalitatem in eo ordine necessariam & quia vnaquaeque habet suam causalitatem diuersae rationis ab alia, & non componunt vnā integram causam: ideo vnaquaeque absolute existit totalis causa. Dices, saltem sequitur quantumlibet ex his causis esse imperfectam in absoluta & communi ratione causae, esto vnaquaeque dicatur perfecta in suo genere. Patet sequela, quia qualibet earum est absolute insufficiens ad effectum in rerum natura constituendum sine aliarum consortio. Consequens autem est falsum, alias etiam Deus in ratione causae esset quid imperfectum. Respondetur primo, absolute negando sequelam, propter instantiam de diuina causalitate. Secundo additur, consequens est verum in omni alia causa praeter Deum; vtriusque autem dicti rationem sic declaro. Nam in primis causae materialis & formalis imperfectae simpliciter sunt, tum quia non causant nisi componendo, qui modus ex suo genere imperfectus est, tum etiam, quia cum vtraque causet, veluti dando suammet entitatem ad entitatem effectus constituendam, neutra per se sola ad id satis est, quia vnaquaeque habet entitatem imperfectam & incompletam ut ex vtriusque coniunctione completa entitas totius effectus consurgat. Denique vnaquaeque dat aliquid proprium, quod altera nullo modo potest conferre. His ergo rationibus vtraque est simpliciter imperfecta.

VII.

Finalis causa efficiens ex suo genere prout perficitur.

Causa verò finalis, & efficiens, ut sic nullam dicitur imperfectionem; neque in modo cauſandi, neque ex eo, quod alia causa cum illis interdum concurrant. In creaturis autem semper habent aliquas imperfectiones admittas: quoad modum quidem, quia vel operantur cum mutatione seu mutabilitate, vel propter suum commodum, vel aliquid huiusmodi. Quoad indigentiam verò aliarum causarum (quod ad rem presentem spectat) quia omnis causa efficiens creata indiget materiali causa ut efficere possit, quod imperfectionis est, tum propter limitatum modum agendi, tum etiam quia ipsa materia quam supponunt, nullo modo est ab ipsis. Rursus indigent aliqua causa finali extra se; nam licet propter se operentur, tamen necesse est, ut etiam operentur propter aliud saltem ut ultimum finem. Et præterea indigent concursu superioris causæ in ratione efficientis superioris rationis. Ac simili proportionem omnis finis creatus habet imperfectionem in cauſando, ob quam, & ob limitationem suam, indiget & alicuius efficientis distincti, & alicuius materiæ vel subiecti concursu, ut aliquem effectum habere possit.

VIII.

At vero in Deo solo est causalitas sine imperfectione, nam in primis absolute non indiget concursu materiæ vel formæ ad efficiendum. Deinde quando hæc causæ sunt necessariae in aliquo effectu, etiam si fiat à Deo, non concurrunt aliqua earum ut simpliciter supposita causalitati Dei, sed ut ab ipso facta & conseruata. Et præterea necessitas talium causarum non est ex defectu virtutis Dei: alioqui non daret Deus esse etiam ipsis causis, sed est ex intrinseca indigentia effectus, cuius natura est, ut ex talibus causis constet. Quo etiam fit, ut tales causæ, quatenus concurrunt ad effectum Dei, magis concurrant ut effectus eius, quam ut concausæ cum ipso. Adeo ut ipsæmet causalitates talium causarum exerceri non possint, nisi Deus illas efficiat. Rursus Deus ad cauſandum effectum ita indiget concomitantia causæ finalis, ut non indigeat fine à se distincto, quia ipse est finis ultimus omnium suarum actionum. Quod si interdum vult actionem suam ad alium finem proximum ordinare, & illud non est ex indigentia, sed ex perfectione & voluntate sua, & præterea talis finis proximus non posset esse finis, nisi à Deo reciperet perfectionem & bonitatem qua posset illud munus subire. Et similiter è contrario, ut Deus cauſet per modum finis, non indiget confortio alterius agentis, sed suæ virtutis. Ut omittam in illis generibus finis & efficientis habere Deum summam independentiam. Ita ergo fit ut cōcursus plurium causarum ad vnum effectum non minuat perfectionem Dei in absoluta ratione cauſandi, etiam si in inferioribus causis illud sit indicium imperfectæ virtutis.

Tractatur questio in causis eiusdem generis diuersis in specie.

IX.

Secundo loco dicendum est de pluribus causis eiusdem generis, diuersæ tamen rationis vel ordinis in tali genere. Et hoc poterit breuiter expediri, quia res est facillima. Dicendum est enim, in causa materiali & formali non posse hoc modo plures causas concurrere ad eundem effectum: in efficiente autem & finali, posse. Prima pars de materia probatur, quia materia non concurrunt, nisi recipiendo formam: dux autem materiæ diuersæ rationis, vel in essendo, vel in cauſando, non possunt ad eandem formam recipiendam concurrere, quia neque eadem forma potest in pluribus materiis recipi: quod si plures materiæ plures formas recipiant, iam non ad vnum effectum concurrunt, sed ad plures.

Plures materię eiusdem effectum esse non possunt.

X.

Dices, quamuis ratio facta concludat, respectu formarum substantialium, quæ à materia pendent,

non tamen respectu animæ rationalis, quia plures materiæ concurrunt cum eadem anima ad eundem hominem componendum, vel simul ratione diuersarum partium, vel successiue ob continuam mutationem materiæ. Respondetur ob partium diuersitatem non esse propriè plures materias, sed vnam adæquatam, constantem ex pluribus partibus, præsertim cum neque illæ partes possint eadem anima informari, nisi sint inter se aliquo modo vnitæ & coniunctæ ad componendum vnum adæquatum susceptiuum. Addo præterea, quatenus plures illæ materiæ partiales ad vnum effectum concurrunt, eatenus ipsummet effectum esse multiplicem & variatum secundum partes. Vnde ad alteram partem de successiua mutatione materiæ respondetur, illum effectum esse quidem vnum ratione animæ, tamen ex ea parte qua variatur materia, etiam effectum aliquo modo variari, ut supra disputatione quinta tractatum est.

Dices rursus, quantum in substantiali effectu, verum hoc fit, non tamen in accidentali. Et ratio differentiæ est, quia causa materialis proxima formæ substantialis, non habet aliam in qua fundetur, quia est ipsa primum subiectum, & ideo tantum potest esse vnica causa materialis vnius formæ, & vnius compositi: at verò forma accidentalis potest immediate habere aliquam materialem causam, quæ indiget alia materia in qua sustentetur, quia, ut supra diximus potest accidens immediate inherere accidenti. Sic ergo poterit idem accidens habere duas causas materiales, vnam proximam, & aliam remotam, ut eadem intellectio, verbi gratia, cauſatur materialiter à subiecto in quo recipitur, & à substantia animæ. Respondetur primo, illud remotum subiectum non propriè concurrere per se ad vltimum actum, sed solum sustentando illud accidens cui aliud inheret, & ita est supra posita assertio declaranda aut limitata de causa materiali immediata, ac per se. Quod si quis velit defendere idem accidens, verbi gratia, eundem actum vitalem, immediate afficere vtrumque subiectum, proximum, & radicale, necesse est, ut dicat, illa duo tunc concurrere per modum vnius adæquati susceptiui, & singula tantum partialiter concurrere: conclusionem autem intelligendam esse de causis totalibus.

Iam de causa formali euidentior est assertio posita, quia plures formæ non possunt ad eundem effectum constituendum conuenire. Nam quod ad formas substantiales attinet, supra ostensum est non posse esse plures simul in eadem materia, quamuis autem successiue sint, non component cum illa eundem effectum, sed diuersos, quia diuersa esse formaliter tribuunt. Vnde licet potentia absoluta simul essent plures formæ in eadem materia, non concurrerent ad vnum effectum, sed vnaquæque suam speciem, & suum effectum constitueret. Quod verò spectat ad formas accidentales, quamuis plures possint simul in eodem subiecto esse, non tamen ad eundem effectum concurrere, sed vnaquæque suum proprium ac distinctum habet effectum. Nec refert, quod interdum compositum ex talibus formis denominatur aliquo modo vnum, ut vnus artifex, etiam si habeat plures artes specie distinctas: nam illa denominatio singularis sumitur ex vnitatem subiecti subsistentis in illis formis: vnde formaliter non cadit in effectum talium formarum, ille enim vera non est vnus, sed cadit in ipsum suppositum, quatenus vnus & idem omnibus illis formis seu accidentibus substat. Denique, si aliquando forte plures formæ, vel accidentales, vel etiam substantiales, dicuntur concurrere ad vnum quid constituendum, id non efficiunt ut formæ totales, sed ut partiales, ut forma sanguinis, carnis, & ossis ad constituendum animal, & calor, figura, &c. ad constituendum pulchram, vel si quid est aliud simile. Semper ita tales formæ

formæ concurrunt, vt componentēs vnā, neque est maior vnitas in effectu, quam sit proportionaliter in forma: nunquam ergo plures causæ formales ad eundem effectum concurrunt.

At vero in efficientibus & finibus, si sint diuersarum rationum, & inter se subordinata, res est manifesta ex his, quæ de his causis disseruimus. Nam possunt plures causæ huiusmodi ad eundem effectum concurrere, & quando effectus est à causa creata, semper id est necessarium propter dependentiam causæ particularis.

SECTIO IV.

An possit idem effectus esse simul à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & speciei.

Restat ergo dicendum de tertio puncto, qui est præcipue intentus in hac sectione, scilicet, de pluribus causis eiusdem generis & speciei, seu ordinis in illo genere. Et, vt ad punctum difficultatis statim accedamus, excludende sunt causæ intrinsecæ materialis & formæ, nam in eis locum non habet hæc quæstio, vt à fortiori patet ex dictis in secundo puncto præcedentis sectionis. Habet ergo locum quæstio in efficientibus, & est ferè eadem ratio de finibus, vt in fine subiiciemus: idemq; ostendimus dicendum esse de qualibet causa, quatenus fuerit extrinseca. Rursus difficultas est de causis totalibus in suo ordine: nam de partialibus nulla est difficultas, quia constat multos effectus naturales esse à pluribus efficientibus proximis partialibus, vt idem filius à patre & matre, supponendo matrem effectiue concurrere: & idem lumen aut calor à multis lucernis vel ignibus, & sic de alijs. Et ratio est, quia quando causæ tantum sunt partiales, ex omnibus confurgit vna tantum totalis & sufficiens, ergo nihil obstat, quo minus plures causæ illo modo concurrant, quia illæ non tam sunt plures causæ, quam plures partes vnius causæ. Neque enim necesse est, vt causa totalis ita sit vna, vt vel sit simplex, aut per se ac proprie composita per realem vniōnem causarum partialium, sed sufficit, vt coalescat ex pluribus sese iuuantibus ad agendum, & sufficienter coniunctis vel approximatis, vt suo partiali modo influere possint. Itaq; in hac parte nulla est difficultas.

De causis vero totalibus duplex adhuc quæstio versatur. Vna est, an simul & coniunctim possit idem effectus à pluribus causis prodire. Altera est, an saltem successiue vel diuini possit idem effectus à varijs causis fieri, id est, an, qui sit ab vna, fieret idem numero ab alia, si eidem materiæ eodem tempore applicaretur. Prius dicemus de priori quæstione, & deinde de posteriori.

Prima sententia negans omnino hoc esse possibile.

Si ergo prima sententia docens tam esse impossibile plures causas simul concurrere eo modo ad eundem effectum, vt implicet contradictionem, ideoque nec de potentia absoluta fieri posse. Ita opinatur Scotus in 3. d. quæstione secunda, & in 2. distinctione 20. quæstione secunda. Et idem sentiunt multi Thomistæ, qui dum dicunt hoc esse impossibile, probationem adiungunt inferendo implicationem contradictionis: ita Caiet. 3. part. quæstione 67. artic. 6. prope finem. Soncin 5. Metaphys. quæst. 6. & Capreol. in 2. dist. 20. quæstione vnica, artic. 3. ad argumenta Scoti contra 3. conclus. & interitum, distinct. 1. quæst. 1. art. 3. ad argumenta Scoti cont. 2. conclus. & Ferrar. 3. cont. Gent. c. 68. & Iaue. 5. Meta. 4. 7. Solent hæc opinio in hoc sensu tribui D. Thom.

quia interdum absolute dicit hoc esse impossibile, vt in 1. p. q. 52. art. 3. & 3. p. q. 82. art. 2. ad 2. & in 1. d. 37. q. 3. art. 3. & 5. Metaph. cap. 2. & idem sentit Maril. 1. de Gen. q. 8. Et non dubito, quin hæc fuerit illorum Philosophorum sententia, qui putarunt id esse simpliciter impossibile, quod per naturales causas fieri non potest, de quo statim dicemus.

Fundatur autem hæc sententia primò, quia contra rationem causæ totalis est, vt habeat consortium alterius in eodem ordine, nam causa totalis est illa, quæ agit tota virtute necessaria in illo ordine ad talem effectum: ergo repugnat causæ totali vt sic, habere consortium alterius causæ similis in effectione eiusdem effectus. Patet consequentia, quia hoc ipso, quod habet aliam causam concurrentem, iam ipsa non adhibet totam virtutem necessariam. Vel certe si ipsa adhibet totam virtutem, & nihilo minus alia etiā suam exhibet, plus virtutis actu applicatur ad illum effectum: ergo prodibit etiam maior effectus, & consequenter fiet ab illis vt à causis partialibus, & à neutra vt totali. Manifestam enim repugnantiam inuoluere videtur, vt causa potentior, secundū totam virtutem actu operetur, & tamen non plus operetur, quam si sola causa minus potens efficeret. Et confirmatur secundò in hunc modum, nam si vna causa efficit effectum vt causa totalis: ergo vel alia nihil agit, & sic falso dicitur esse causa, vel actum agit, & hoc est impossibile, quia agere est de non esse educere ad esse, nā teste Aristotele, inter hos terminos fit omnis actio: sed id, quod actum est ab vna causa, iam est extra non esse: ergo non potest fieri ab alia. Tertio confirmatur hoc ipsum, quia alias posset vna causa totalis non tantum simul & eodem instanti, sed etiam in posteriori tempore, producere rem prius iam ab alia productam, quod est contra rationem productionis, vt diximus. Vnde alterius fieret, vt eadem res producere posset seipsam, quia si non posset, maxime, quia ad agendum supponitur esse, sed etiam si res iam sit, potest ab alia causa iterum produci, ergo & à se.

Quartò impossibile est eandem actionem esse à duabus causis totalibus, ergo & eundem effectum. Patet consequentia, tum à paritate rationis, tum etiam, quia vnus effectus non potest, nisi vna actione fieri. Antecedens vero probatur, quia actio omnino essentialiter pendet ab agente: non potest ergo vna & eadem actio simul à pluribus agentibus, & à singulis totalibus dependere. Vnde est quinta & vulgaris ratio, quia alias sequitur talem effectum pendere, & non pendere essentialiter ab illis causis, quæ est contradictio. Sequela patet, nam quod pendeat, in eo ipso asseritur, quod vtraque illarum dicitur esse causa per se & totalis, nam causa per se est, à qua per se pendet effectus, & totalis est, à qua totaliter pendet. Quod vero non pendeat, probatur, nam si hæc tollatur, nihilominus remanebit effectus ex influxu alterius, cum dicatur esse causa totalis: ergo non pendet ab hac. Rursus, si hæc maneat, quamuis destruat altera, manebit effectus: ergo etiam non pendet ab altera, ergo à neutra pendet. Quod si dicatur pendere ab alterutra confusè aut diiunctim: ergo de facto neutra earum determinatè & per se sumpta, est causa totalis, quia à neutra earum determinatè sumpta pendet effectus. Sextò tandem argumentor, quia si talium causarum concursus absolute non repugnat, nec naturaliter repugnabit, quod hæc opinio supponit esse omnino falsum.

Secunda sententia affirmans etiam naturaliter.

Secunda opinio extremè contraria esse potest, nec simpliciter contradictionem, nec per se loquendo, ex natura rei repugnare, duas causas totales eiusdem ordinis simul efficere eundem effectum. Dico per se loquendo, quia fortasse ex parte antecedentium

IV.
Fundamen-
tum propo-
sitionis.

V.

VI.